

turæ sententiæ de divinitate Christi accurate elidit, & nullam prorsus æquivocationis ambagem iisdem relinquit, planeque ac nitide Filium non solum similem esse Patri, sed ejusdem omnino cum illo naturæ, & essentia significat, quodque propterea ad labefactandam Arianam Hæresim plurimum valet, à Nicænis Patribus apposita, & prudenter Symbolo fidei fuit additum; sed tō *Homousion* hæc omnia præstat: ergo apposite, & prudenter fuit additum. P. m. ex SS. PP. qui testantur, & probant hanc voculam hæc omnia præstare, quæ in majori memorantur. Et primo quidem ex S. Athanasio, cujus verba supra N. 64. referendo occasione edendi hoc Symbolum retulimus, ubi vidimus, Patres ad retundendas Arianorum blasphemias, frustra adhibuisse voces, *Christum ex Deo esse, ipsum & Verbum, & Sapientiam, non creaturam, aut facturam esse*; Ariani enim, ut idem scribit, hæc audiendo, oculis sibi annuebant, & in gremium plaudebant, eo quod existimarent, illud *ex Deo esse*, & commune esse, & ad homines quoque pertinere, quos nutus, quem plautum tamen depoliere, quam primum hac vocula velut fulmine icti, ac exterriti fuerunt; tunc enim matii facti, & nec hircere amplius valentes, metu exauctorationis eisdem subscribere: ergo hæc vocula versutias Arianorum in explicandis pro favore suæ opinionis S. Scripturæ sententiæ de divinitate Christi accurate elidit, & nullam prorsus æquivocationis ambagem iisdem relinquit.

81. Confirmatur I. ex iis, quæ Ariani contra hanc voculam attentaverunt, & per ongum à N. 65. usque ad N. 78. relata sunt. Etsi enim hi in duas divisissent partes, quorum aliqui Filium dicebant puram putam creaturam, qui propterea rigoros dicebantur; alii è contra hanc impietatem detestantes, illum Filium Dei, & Verbum, & Sapientiam, & Patri per omnia similem asseriebant, qui

propterea Semi-ariani audiebant, utrique tamen unanimiter hanc voculam impetiverunt: ergo occulte confessi sunt, suam opinionem Orthodoxis contrariam per eam peremptorie peti, sensumque Catholicorum de Christo per illam nitide, & exacte explicari, quæ non ita fiebant per verba *ex Deo esse*, ut pater ex verbis Athanasii mox relatis, vel per tō similem Patri, ut ex facto Ursatii, & Valentis post Concilium Ariminense pariter liquet; cum ergo testimonium adversariorum contra se ut validissimum, in aperto est hanc particulam illa omnia præstare, quæ in majori memorantur. Et hinc merito S. Athanasius mox cit. subdit: *In his verbis ex Patre esse, & consubstantialem esse, vim peremptoriam Patres volvere contineri ad elidendas has argutias.*

82. Confirmatur II. ex S. Ambrosio lib. 3. de fide c. 7. editionis supra cit. tom. 4. pag. 159. ubi habet, quod Eusebius Arianorum Primipilus Epistola sua proderit dicens: *Si verum Dei filium, & in creatum dicimus, Homousion cum Patre incipimus confiteri: ergo idem, quod prius. Unde idem Sanctissimus Pater cum M. Athanasio subjungit: Hæc cum lecta esset Epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod id viderant Adversariis esse formidini, ut, tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput Hæresis amputarent.*

83. Quod autem vocabulo *Homousion* Personarum distinctio, & naturæ unitas inter Patrem, & Filium sine ambiguitate significetur; adeoque per illud non tantum Arii (quod primario intenditur in minori argumento) sed etiam Sabellii (unam tantum in divinis adlruentis Personam) Hæresis accurate excludatur, Sanctorum Patrum non tam autoritativus, quam rationibus probatur. Et imprimis

84. S. Ambrosius L. mox citato continenter ait: *Frustra autem verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt (Ariani), & in ea suam impietatem pro-*

dunt: Homousion enim aliud alii, non ipsum est sibi. Recte ergo Homousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo, & Personarum distinctio, & naturæ unitas significatur.

85. S. Hilarius vero libro de Synodis pag. in edit. Col. de a. 1617. p. 114. col. 2. ita satur: *Non hic Sanctissima Religiosorum virorum Synodus, nescio quam priorem, quæ in duos divisa sit, substantiam introducit, sed Filium natum de substantia Patris — quæ hic vitiosa intelligentia occasio est; natus esse de substantia Patris Filius, non factus prædicitur: ne natiuitas divinitatis factura sit creationis. Idcirco autem unius substantia: non ut unus subsistat, aut solus, sed ut ex substantia Dei natus non aliunde subsistat, neve in aliqua dissidentis substantia diversitate subsistat.*

86. Unde Marius Victorinus, qui sub Constantio floruit, librum secundum contra Arium ita concludit: *Homousion vero magis ac magis teneamus, scribatur, dicatur, tractetur, in Ecclesiis omnibus predicetur. Hæc enim Fides Catholica. Hinc Ariani, hinc Hæretici vincuntur universi.*

87. Ex quibus omnibus tale formo summarium. Patres Nicæni voluerunt contra Arianos asserere Filium Dei esse ejusdem cum Patre essentia, atque naturæ, ac simul diversum in Hypostasi, seu Persona; atqui hoc assecuti sunt inferendo fidei suæ vocem *Homousion*: ergo illam apposite, prudenterque inferuerunt. M. & P. patet ex dictis; ex eo enim, quod Pater, & Filius sint consubstantiales, eandem eos habere substantiam intelligitur, sicut ii, qui eandem domum inhabitant, vel eandem hereditatem adeunt, Cohabitatores, & Cohæredes recte dicuntur; & ex hoc ipso contra Sabellium realiter distincti in Hypostasi recte intelligantur, cum nullus, servata vocis proprietate, sibi ipsi consubstantialis dici possit.

88. Quapropter lepide non minus, quam acerbe S. Augustinus libro contra

sermone Ariarum in edit. cit. c. 37. pag. 647. eosdem perstringit his verbis: *Ariani, & Eunomiani nos vocitant Homousianos: contra eorum errorem Homousion defendimus Patrem, & Filium, & Spiritum S.: id est, unius ejusdemque substantia, vel, ut expressius dicitur, essentia, quæ usia græce appellatur: quod planius dicitur, unius ejusdemque naturæ. Et tamen si quis istorum, qui nos Homousianos vocant, Filium suum, non cujus ipse esset, sed diversa diceret esse naturæ, exheredari se ab eo mallet Filium, quam hoc putari. Quanta itaque impietate isti canantur, qui cum confitentur unigenitum Dei Filium, nolunt ejusdem naturæ, cujus Pater est, confiteri, sed diversa, atque impari, & multis modis, rebusque dissimili, tanquam non de Deo natus, sed ab illo de nihilo sit creatus: ac per hoc & ipse creatura sit, gratia Filius, non natura. Ecce! qui nos quasi macula novi nominis vocant Homousianos, nec se ipsos cum ista sentiunt, inveniunt insanos.*

Momenta Arianorum expenduntur.

89. Ariani ex tribus præcipue capitibus vocem *Homousion* impetere conati sunt. Primo, quod in Scripturis nusquam esset expressa, sed nova, & ante Concilium Nicænum non usitata. Secundo, quod in antiquiori Concilio, nempe Antiocheno, contra Paulum Samosatenum coacto, esset damnata. Tertio, quod propter suam æquivocationem esset occasio multiplicis erroris: ex quibus inferabant non solum inepte, & imprudenter, sed & impie à PP. Nicænis additam fuisse Symbolo. Ad quæ ordine respondebimus, & quidem

90. Ad I. Concedendo hanc vocem *Homousion* in sacris Litteris non inveniri quoad sonum, & syllabas, negando autem illam inibi non haberi quoad sensum, vel æquivalenter. Audiat S. Athanasius

sepe cit. ep. de Synodi Nicenæ contra Arianam Hæresim decretis pag. 150. ubi hoc argumentum primo in ipsos retorquet, & deinde, quemadmodum nos, solvit his verbis: Quod si rursus, quia voces istæ in Scripturis solennes non sint, obmurmurationes faciant, æquum profecto est, ut ea de causa ipsi potissimum rejiciantur, utpote logodadali novorum vocabulorum, & quod magis est, sanis sententiis non utentes, seque ipsi in hoc negotio incusant, quod primi hujus rei occasionem præbuerunt, dum ex non scriptis vocibus Deo bellum comparant. Sed tamen cognoscat quisquis est studiosioris animi, has voces, tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam, quam Scripturæ volunt, & hoc ipsum eas sonare apud illos, quibus aures ad pietatem sunt integræ, & minime vitiatæ. Deinde asert loca Scripturæ, quibus consubstantialitas Filii cum Patre probatur. Quæ videri possunt infra N. 93.

91. Ad id, quod additur, vocem Homouision fuisse novam, nec ante Concilium Nicænum usurpatam, Resp. id falsum est. Nam ante illam Synodum Theognostus, & uterque Dionysius, Alexandrinus, & Romanus Filium ex Patris substantia productum, & Patri consubstantialem dixerunt, ut testatur S. Athan. ep. cit. de Synodi Nicenæ decretis. Quin etiam Dionysius Alexandr. in Epistola ad Paulum Samosatenum consubstantialem dici Filium Patri ab antiquis, affirmat.

92. Dices. Apostolus novitates vocum vetat: ergo Patres Nicæni addendo hanc vocem prævaricati sunt præceptum Apostoli, quod sane apposite prudenterque factum est minime.

Hanc injectiunculam ita explodit S. Hilarius in libro adversus Constantium jam vita defunctam in cit. edit. pag. 96. Novitates vocum, & profanas vetari jubet Apostolus. Tu cur piæ exclusis? innasibilem scriptum nusquam legis (Patrem),

numquid & hoc negandum erit, quia novum est? — ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur; ubi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.

93. Ad secundum fatemur, hanc vocem in Synodo Antiochena fuisse damnatam, at in sensu, quo illam perverse usurpavit Paulus Samosatensis, non in sensu, quo illam acceperunt Patres Nicæni. Qui enim (inquit S. Ath. lib. de Synodis Arimini & Seleucie in cit. edit. pag. 203.) Samosatensem sustulerunt, hanc vocem consubstantiale corporaliter acceperunt, cum Paulus sophisticari vellet, & diceret: Si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri, & necessario sequitur tres esse substantias: unam quidem, quæ prior sit, ut Princeps: reliquas vero duas ex ea oriundas (modo videlicet corporali per divisionem ipsius); ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli, dixerunt, Christum non esse consubstantialem: non enim se ita habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi vero, qui Arianam Hæresim anathemate notarunt, cognoscentes non creaturam, sed genitum quiddam ex substantia Patris Filium esse, & substantiam Patris originem, radicem, & fontem esse Filii, & veram undecumque esse similitudinem Geniti cum Genitore, & nequaquam eum, uti nos, diversæ naturæ esse, & pro se habentis Dionysii exempla, fontem scilicet, & consubstantialis assertionem, & præterea unitricem Salvatoris vocem. Ego & Pater unum sumus, & qui videt me, videt & Patrem meum: his de causis merito induciti sunt, ut Filium consubstantialem dicerent; & quemadmodum nusquam quisquam Apostolum culpaverit, quod de lege ad istum modum Samosatensis, ad illum vero Hebræis scribat: ita Neoterici præcos homines nunquam culpaverint, si videant eorum mentem, & interpretationem: neque rursus præci Neotericos reprehenderint, si conspiciant quo ani-

animo, & in quem usum de Domino scribant: nam utraque Synodus justam habet, & rationabilem causam, cur illa ad illum, ista vero ad istum modum verba sua temperaverit. De hac S. Athanasii expositione, & conciliatione Antiochenorum Patrum cum Nicænis lege Facundus Hermian. lib. 10. p. 450. edit. Sirmondi. Hæc resp. illustrari potest exemplo illius vocis *ingenitus*, quæ cum in Scripturis non reperitur, sicut tō *consubstantiale*, vario quoque sensu à Patribus admittitur vel negata est de Filio Dei. A quibusdam enim usurpata est, prout significat id, quod existit, & factum non est, & in hoc sensu S. Ignatius Martyr Christum dixit *genitum & ingenitum*, id est, non factum: ab aliis vero prout significat id, quod plane sui auctorem non habet, videlicet, nec casualiter, nec originaliter, & in hoc sensu filii post S. Ignatium Martyrem Magistri scripserunt, *unus ingenitus est Pater*, videlicet nec causam, nec principium sui habens, quod Filio non convenit. Hæc ex Athan. lib. cit. ubi addit: Ita quoque, si aliqui ex PP. ad istum, alii ad alium modum de consubstantiali disseruerunt, nobis tamen ob id contentiose agendum non est, sed cum pietate eorum dicta excipere debemus, eo quod præcipue sua studia ad pietatem referebant. Quibus non tantum scitulos illos, qui in antiquis Patribus novos magis, quam pietatis doctrinam quaerunt, perstringit, sed etiam Scriptoribus Ecclesiasticis normam scribendi format.

94. Ad III. Resp. D. propositionem: dabat occasionem erroris nisi esset exposita, C. si esset exposita, N. vel dabat occasionem erroris male intelligentibus, & per accidens, C. per se, & recte intelligentibus, N. Porro Patres Nicæni omnem sultulerunt istius vocis ambiguitatem, exponendo sensum, quo eam consecrabant, ut esset Catholicæ fidei testera. Id constat ex Eusebio Cæsariensi in ep. ad Ecclesiam suam, cum descripsit Theodoretus lib. 1. Hist. Eccl. c. 12. edit. Col. de a. 1617. pag. 153.

in qua, postquam Nicænam fidem recensuit, hæc subiungit: Cum ista formula ab ipsis præscripta esset, illud ex substantia Patris esse, & illud, Patri consubstantiale esse, quomodo essent intelligenda, ab eis diligenter quaerere cepimus; unde quaestiones, & responsa nata sunt; ratione accurate perreliquata, quæ illis verbis subjecta esset sententia. Fatebatur illi, ex substantia esse, idem significare, quod ex Patre esse, non tamen partem Patris esse.

95. Dices. Imprudenter egerunt, qui vocem inutilem, & quæ aliunde multis etiam Orthodoxis erat offensionem, Symbolo inseruerunt: sed vox Homouision erat inutilis, & aliunde multis etiam Orthodoxis erat offensionem: imprudenter itaque illam Symbolo inseruerunt Nicæni Patres. P. m. vox *Homouision*, id est, *similis substantiæ*, fidem Ecclesiæ de Filii divinitate satis superque exprimebat; illosque Catholicos habuerunt SS. Athanasius, & Hilarius, qui Filium *Homouision* Patri asserabant, licet eundem *Homouision* negarent, ut constat ex utriusque libro de Synodis: ergo inutilis erat illius vocis *Homouision* ad Symbolum additio.

Resp. N. M. ad ejus P. D. A. vox *Homouision* Ecclesiæ fidem de Filii divinitate satis exprimebat, & melius ac luculentius eandem exprimebat *Homouision*, C. & non melius eam ac nitidius *Homouision* exponebat, N. D. etiam 2. p. eisdem A. Illos Catholicos habuerunt SS. Athanasius, & Hilarius, qui Filium *Homouision* Patri profitebantur, & non damnabant *Homouision*, quamvis eam vocem usurpare nolent, qua in vocabulo innoxio monstrum sibi fingebant, C. & qui damnabant *Homouision*, nec Filium unius substantiæ cum Patre profiteri volebant N. Qui igitur non solum vocem ipsam *Homouision*, sed & ipsum ejus significatum rejiciebant, nusquam habiti sunt ut Catholicis à Patribus, ut patet ex perpetuo horum cum illis de hac voce conflictu. Sed Orthodoxorum numero,

mero, & lœco habitu sunt, qui illud vocabulum ob præsentam æquivocationem rejicientes, Catholicum nihilominus ejus sensum voce *Homoufion* exprimebant, aliisque vocabulis fidem Nicenam de Filio Dei sincere, & perspicue exponebant. Qui vero damnabant *Homoufion*, nec rectum etiam illius vocis sensum pati poterant, illi nec *Homoufion*, id est, similis substantiæ cum Patre Filium sincere profiteri præsumebantur; quia vox illa nuda sumpta omnes Arianae pravitatis insidias, omnes Hæreseos pestiferæ sensus non excludebant. Nam similia sæpe dicuntur in substantia, quæ diversæ nihilominus sunt naturæ.

§. IV.

De Symbolo Constantinopolitano.

96. **H**OC Symbolum refertur in Coletana Conciliorum collectione tom. 2. pag. 1132. & 1138. ex interpretatione Gentiani Herveti, & Dionysii Exiguus, estque juxta prioris interpretationem sequentis tenoris.

Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilibus omnium, & invisibilibus. Et in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula (1) (Deum de Deo) lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, *Homoufion* Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Ho-

(1) Hæc duo verba videntur Amanuensi, Symbolum CP. prout nunc cum illis recitatur, fortassis in uŭ habenti, excidisse, & deinde Reviloris typi diligentiam fuisse, cum in textu græco ex latere hujus ibi posito non reperiantur, neque in versione Dionysiana pag. 1138. & in veritate à PP. CP. fuerint prætermissa, ut infra videbimus.

mo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus ac sepultus: & tertia die resurrexit secundum Scripturas ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi. Amen.

97. Hoc Symbolum consecratum est in secunda Œcumenica Synodo, quæ fuit Constant. I. 150. Patrum sub Damaso Papa, & Theodosio Seniore a. c. 381.

98. Occasionem convocandi hujus Concilii dedit impius & in Spiritum S. blasphemus Macedonius CP. Sedis invasor, qui Spiritum S. non ejusdem cum Patre & Filio honoris participem, sed utriusque Ministrum esse, & creaturam sacilego ore esuriebat.

99. Nata est hæc Macedonii Hæresis teste Nat. Alex. c. 3. *Historia* Eccl. sæculi 4. §. 11. a. c. 360. damnata vero fuit primum in Synodo Alexandrina, post reditum S. Athan. celebrata a. 362. ut ex illius Synodica ep. constat, quæ est apud ipsum Athan. ad Antiochenos scripta. Secundo proscripta est hæc Hæresis in Synodo Illyrici a. c. 367. ut constat ex ep. Synod. illius Concilii ad Orientales, qua profiterentur Patres in illo Concilio congregati, S. Trinitatem consubstantialem esse, & Deum Patrem cum Filio, & Spiritu S. significari, & glorificari; & Patrem in Filio

Filio existere, & Filium in Patre unum cum Spiritu Sancto in omnium æternitatem. Tertio damnata est in Synodo Romana, quam paulo post celebravit Damasus Pontifex, ex qua ad Episcopos Illyrici Epistolam dedit, quæ existat apud Theodoretum lib. 2. *hist. Eccl. cap. 22. in cit. edit. pag. 172.* Quarto damnata est cum Authore suo in altera Synodo Romana, quam contra Apollinarem habuit Damasus, ex qua ad Paulinum Antiochenum Episcopum Epistolam dedit, quam refert Theodoretus lib. 5. *hist. Eccl. c. 11. ibid. pag. 202.* in qua nominatim multiplici anathematismo hæc Hæresis percellitur. Quinto denique damnati sunt Macedoniam, & illorum Hæresis in hac Œcumenica Synodo verbis illis præsentis Symboli, quibus profitemur Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, quamvis & aliæ Hæreses in eodem excludantur, ut statim videbimus ex iis, quæ in hoc Symbolo addita reperuntur Fidei Nicænæ, saltem prout hæc fuit conciliariter edita, & à Patribus refertur.

100. Imprimis enim cum in Symbolo Nicæno esset omnium visibilibus, & invisibilibus Factorem, & in hoc Symbolo additum reperitur cæli, & terræ majoris explicationis gratia contra Marcionitas, & Manichæos duorum principiorum assertores. Secundo verbis de Patre natum additum reperitur ante omnia sæcula contra Photini blasphemias, qui effutivit Verbum Divinum nequaquam æternum, & substantiale esse, sed temporale, & prolatitium, quod primam originem ex utero Virginis, & in homine Christo acceperit. Tertio verbis, & incarnatus est additum reperitur de Spiritu S. ex Maria Virgine contra herelim Apollinaris, (observat Marcus in Florentina Synodo sess. 5.) qui assererat Verbum Divinum carnem ex Virgine non sumpsisse, sed ex cælo attulisse. Quarto in hoc Symbolo præterea reperuntur

tur addita hæc verba: *Crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus est; quorum loco in Nicæno tantum legitur passus est. Item post verba & ascendit in cælos, adjecta hic sunt, sedet ad dexteram Patris, & venturus cum Gloria; & cujus regni non erit finis.* Postremorum autem verborum adjectio contra Apollinaris de millenario Christi in terris regno errorem facta est; nec non contra errorem Marcello Ancyrano affectum, quo asseruisse exultimatus est Christi regnum deserturum, cum illud tradiderit DEO Patri, tumque ipsum in Iustorum ordinem redigendum esse. Quinto, cum Nicænum Symbolum his verbis, & in Spiritum S. terminetur, in hoc ad confutandum Macedoniam errorem additum reperitur, *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus est per Prophetas, & reliqua usque ad finem.* Quæ omnia Symbolo Nicæno, saltem prout conciliariter editum fuit, adscripta non fuisse constat ex iis, qui ipsum verbis iisdem referunt, videl. ex Athan. in Ep. ad Jovianum Imp. ex Rufino lib. 1. *hist. Eccl. c. 6. ex Socrate lib. 1. c. 8. & aliis.*

101. Particula *Filioque* non reperitur in originali hujus Symboli, sed à Latinis addita deinde est cum magna offensione Græcorum, fuitque non minimum motivum Photio Patriarchæ CP. dicam schisma, quo de factis Ecclesiæ Græcæ à Latina scinditur, inchoandi, & Michaeli Cæsarario ejusdem sedis Archi-Episcopo illud perficiendi.

QUÆSTIO CRITICA.

An hujus Symboli additamenta primum facta sunt à Patribus CP.

102. **N**Oranter paulo ante diximus, hæc additamenta non reperiri in Symbolo Nicæno, saltem prout conciliariter editum fuit; quamvis enim ex authorita-

ritatibus Patrum mox relatis, tum etiam ex ep. Ath. ad Africanos, & Basilii M. 60. & 78. certum sit, eidem in dicto Concilio præter sententias, quibus ab iisdem refertur, nil fuisse infernum; adeoque falsa sit Eliæ Cretenfis animadversio in orationem 52. Gregorii Nazianzeni, sive in ejus ep. 2. ad Cledonium, ubi agnoscit in Nicæno Symbolo Spiritum Sanctum dictum fuisse vivificantem Dominum, ex Patre procedentem, atque cum Patre, & Filio simul glorificandum. Hoc autem non obstantem, certum non est, Patres CP. vel potius S. Gregorium Nyssenum eorum jussu primum hæc additamenta eidem Symbolo fecisse. Pro cuius evidèntia

103. Animadvertendum est, præter illas variantes lectiones, quibus Symbolum Apostolicum in diversis Ecclesiis ante Concilium Nicænum recitabatur, quæque N. 15. 16. 17. 19. & 20. retulimus, in Orientalibus Ecclesiis præterea unam in usu fuisse, quæ cæteris longe amplior fuit, & cujus maximam partem coram Synodi Nicænae Patribus recitavit Eusebius Cæsariensis Episcopus, hoc prius commendatam elogio, quemadmodum testatur in sua ad suos ep. Nicænae data, quam refert Theodoret. lib. 1. hist. Eccl. edit. cit. c. 12. fol. 152. Sicut ab Episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus, & in prima Catechesi, & cum Baptismi lavacrum suscepimus, & sicut à Divinis Scripturis didicimus, & sicut in Presbyterio, & in ipso Episcopatu credidimus, & docuimus: sic etiam & nunc credentes nostram fidem vobis proponimus. Fidei autem confessio erat hujusmodi.

Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, omnium visibillum, & invisibillum factorem. Et in unum Dominum J. C. DEI verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creature, ante omnia secula ex Patre genitum, per quem & omnia facta sunt.

Qui propter nostram salutem incarnatus, & inter homines conversatus, & passus est, & tertia die resurrexit, & ascendit ad Patrem, & iterum venturus est in Gloria judicare vivos, & mortuos. Credimus in unum Spiritum Sanctum.

104. Atque hanc Confessionem & Constantinus Imp. & universi PP. Nicæni sine ulla contradictione admiserunt, ut ibi scribit Eusebius, inquit: Cum hanc fidem exposuissemus, nullus eras contradicendi locus. Quin etiam Imperator ipse noster Sanctissimus hanc nostram fidem veritatem in se completi primus omnium testificatus est. Sed ad Arianae Hæreseos, de qua tum quærebatur, clariorem refutationem, ita eam à se interpolatam Ecclesiis proponendam censuerunt PP. videlicet per Symbolum, quod supra N. 59. recitavimus. Ultra Trinitatis vero Confessionem hac vice non processerunt: tum quod Symboli pars ab Eusebio recitata eo illos ducebat; tum quod illo Ariana, quæ tunc agitabatur, controverbia nihil amplius requirebat. Quamobrem & Ariani Episcopi, ut Nicænam hanc fidem latenter subruerent, cum ad articulum illum pervenissent, credimus etiam in Spiritum S. subdiderunt: Si autem, ut hoc adiciatur, opus sit: credimus & de carnis resurrectione, & vita æterna. Ex quo apparet, Symbolum, quod Eusebius recitavit tanquam Apostolicum, in articulo de Spiritu S. terminatum haud fuisse, sed articulos de carnis resurrectione, de vita æterna, & fortasse etiam alios, & quidem luculentius, cæteris Symbolis Apostolicis comprehendisse.

105. Hoc animadversio pro communi sententia, quæ additamenta hujus Symboli à Patribus CP. primum facta contendit, stant luculentissima testimonia.

Quorum I. desumitur ex definitione Chalcedonenfis Concilii relata apud Colet. tom. 4. Concilior. pag. 1454. ubi ita legitur. Præfens Sancta, & magna, & universalis

versalis Synodus, prædicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia, fidem integram, & intemeratam permanere 318. SS. Patrum: & confirmat doctrinam, quæ de substantia Spiritus S. à Patribus 150. postea congregatis in regia civitate tradita est, propter illos, qui Spiritui S. repugnabant; quam illi notam omnibus fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus adjicientes, sed suum de S. Spiritu intellectum contra illos, qui dominationem ejus respuere tentaverunt, Scripturarum testimoniis declarantes.

106. II. ex L. 7. §. 4. cod. de Summa Trinit. & Fide Cath. ubi Justinianus Imp. ad mox citat. Synodi locum reflexisse videtur, dum ita ait: Fidei definitionem, hoc est, Sacro-sanctum Documentum, sive Symbolum retinemus, atque custodimus, à SS. PP. 318. expositum; quod etiam congregati hæc in urbe Imperatoria 150. PP. explanatione habita declararunt: non quod aliquid ei deesset, sed ea de causa, quod veritatis hostes partim Spiritus S. divinitatem reprobare conati essent, partim veram Dei Verbi Incarnationem ex S. perpetua Virgine Deipara negassent; idcirco Scripturæ testimoniis sacro-sanctum hoc documentum indicati 150. SS. PP. explanatione adhibita, declararunt.

107. Ut ab his testimoniis se expediat Ulfertus, qui contrariam sententiam amplectitur in sæpe citata diatriba de Symbolo Romano veteri pag. 10. sequentem præmittit animadversionem, inquit: Ad hujus vero tantopere laudati Symboli explicationem, & ampliolem confirmationem, secundi illius Œumenici Concilii CP. Patres proprium tomum ediderunt: in quo & latius fidem professi sunt, & contra novitates Hæreseon nuper exortas anathema ex scripto protulerunt, quod ipsi in synodica sua Epistola confirmant. Quo pohto

Ad utrumque allatum testimonium

Resp. Illa non de Symbolo CP. sed de hoc Concilii Tomo à Symbolo distincto intelligenda esse. Quoniam in Symbolo tantum abest (verba sunt illius) ut Scripturæ testimoniis divinitas Spiritus S. confirmetur, ut ne expressis quidem verbis affirmetur, sed ex appoitis characteribus (videl. quod cum Patre, & Filio sit adorandus, & glorificandus) colligenda relinquatur.

108. Sed contra hanc responsionem militat, quod dictus Tomus, in quo PP. CP. divinitatem Spiritus S. allatis Scripturarum testimoniis dogmatice asseruissent, & propugnassent, in actis Synodi non reperitur, in illis enim sive Græcæ, sive Arabicæ phrasim apud Colet. tom. 2. & pag. 1095. & seqq. consulas, reperies primo loco Orationem Gregorii Naz. ad Patres conscriptos habitam; secundo Patrum Nuncupatoriam ad Theodosium M. cum Canonibus à se editis; tertio Symbolum tandem Epistolam Synodicam ab Ulfertio mox citatam: quæ tamen anno sequenti primo fuit scripta.

109. Quod autem similem tomum nunquam ediderint, & consequenter allata testimonia de Symbolo, & Canonibus sint intelligenda, patet 1. ex eorum nuncupatoria ad Theodosium M. ibi, ubi ita legitur: Deinde vero breves etiam pronuntiavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Nicæna congregati fuerunt, fidem confirmavimus, & que adversus eam oborta sunt, perverfas opiniones extrema cum execratione, ac detestatione reprobavimus. Quo loco illos ad Symbolum, atque ad primum suum Canonem alludere colligi videtur tum ex ly breves, tum ex ipso Canone, in quo & confirmatur Nicæna Fides, & omnis Hæresis anathematizatur, nominatim Eunomianorum, Ariatorum, Semi-arianorum, sive Spiritus Sancti adversariorum, &c.

110. 2. Ex ipso loco Synodice, quam Ulfertus pro se citat; ex illo enim potius contrarium conjici videtur; nam ibi ita scri-

scribunt Patres CP. De quibus pleniorē delectationem animi poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato, de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiore anno à CP. Concilio Generali compositus est, legere placuerit: in quibus tum fidem nostram (id est Nicænam) uberius exposuimus, tum Hæresibus nuper excogitatis Anathema scriptis proditum denuntiavimus. Quo loco iterum intelligi Symbolum CP. Concilii, eisdemque primum Canonem, notat Binius in notis ad hoc Concilium.

111. Accedit, quod Imper. Justinianus I. mox cit. asserat, SS. Patres CP. Symbolum explanatione declarasse non tantum propter divinitatem Spiritui S. asserendam, verum etiam ad vindicandam Verbi Incarnationem ex S. perpetua Virgine Inpara Maria, quod per additionem particulæ ex Maria Virgine factum esse supra N. 100. notavimus. Ergo textus ille non de Tomo à Symbolo separato, sed de ipso Symbolo intelligendus videtur.

112. Et propter hæc momenta Ulfertius I. cit. continetur se in affirmativa sententia aliquando fuisse, videl. vetera (verba sunt illius) Orientalium Symbola in simplici Persona Spiritus S. confessione fuisse terminata: illius vero amplificationem capituli, & que de Ecclesia, & Beneficiis ad eam spectantibus sequebantur, omnia à Patribus 2. œcumenicæ Synodi CP. a. c. 481. habitæ primum fuisse addita: sed ab ea depulsum se dicit sententia, tempore, quo à Cyrillo Hierosolymitano Catecheticis sermones sunt habiti, & ab Epiphano Anchoratum fuit editum, diligentius considerato. Cyrillum enim in adulescentia Catecheses suas composuisse in suo Scriptorum Catalogo (pergit idem) docet Hieronymus annis quidem 70. post exortam Manetis Hæresim, ut in Catechesi 6. ipse Cyrillus indicat: ante annum viximum Domini 350. quo ex Catecheta Episcopus Hierosolymitanus ille est factus. Atqui Apostolica Fidei Symbolum, quod

ille explicat, non in Spiritu S. sed in vita æternæ articulo finem accipit, quod & ipse verbis illis Catecheses 18. plane confirmat: Hæc de vita æternæ (inquit) dicta sunt hæcenus: quod est eorum, quæ promitemur in fide, ultimum documentum atque terminus.

113. Anchoratum vero à se scriptum expresse notat Epiph. anno Diocletiani 90. Valentini, & Valentis 10. Gratiani 6. Gratiano Augusto 3. & Equitio Consulibus indictione 1. hoc est, Christianæ nostræ epoche a. 374. (adeoque 7. annis ante Concilium CP.) Et tamen longius istud Symbolum jam propositum (quod CP. Concilio vulgo tribuitur) ut ab apostolis acceptum, & à Nicæni Patribus predicatum ille recitat: hujusmodi ad Fideles omnes exhortatione præfixa, pergit O! Fideles, & Orthodoxi Viri, sanctam hanc Ecclesiam Catholicam conservare fidem, quemadmodum Sacro-sancta ac singularis Dei Virgo à SS. Domini Apostolis accepit: idemque Catechumenis omnibus, qui ad baptismum se se comparant, inculcate. Hac adhortatione præmissa de verbo ad verbum, recitat Nicænum Symbolum, quod de verbo ad verbum cum CP. concordat, præterquam quod aliquibus sententiis adhuc sit auctius; illudque anathematizans, qui post Symbolum Nicænum habentur, concludit; atque ita pergit: Et hæc quidem fides tradita est à SS. Apostolis, & recepta in Ecclesia in S. Urbis Nicæni Concilio ab omnibus simul tunc presentibus Episcopis, 318. numero. Et quia ipse tempore, anno videl. illo 90. Diocletianæ novæ pullularunt Hæreses, ut illis indein occurreretur, Nicænorum Episcoporum exemplo, qui Apostolicum Symbolum interpolaverunt, ipse Nicæno quoque interpolato, prolixiorē adhuc fidei typum toti Ecclesie Catholicæ commendavit, qui l. c. edit. Col. 1617. pag. 291. cum reliquis mox allatis habetur.

114. Atque his duabus autoritatibus permotus Ulfertius, primo quidem supra N.

102. relatam Eliz Cretenfis sententiam ex ibi pariter relatis evidentibus motivis nobiscum rejicit, deinde vero, quid ille circa præsentem difficultatem satis obstruam sentiat, aperit his verbis: Quam primum igitur longiorum Orientalium Symboli partem Nicæni Patres explanationibus ex veteris Ecclesie sensu petitis (à cuius Doctoribus, & ipsum Homouji vocabulum receptum hic fuisse agnoscit Eusebius) se amplificassent: vel ipsorum aliqui, vel qui insignem in Ecclesia adepti sunt auctoritatem, alii non diu post, & eam Nicænorum ipsam, & reliquam, quæ superferat, partem, collatis tam Romanæ, quam Orientalium Ecclesiarum Symbolis, eo videntur supplevisse consilio, ut uno quasi intuitu omnium simul Ecclesiarum fidem conspiciendam exhiberent. Indeque factum, ut cum in Nicæna formula haberetur tantum, & in Spiritu S. & in illa Hierosolymitana Cyrilli præterea Paracletum, qui locutus est per Prophetas: in hac ex illis adjecta fuerint & ista: Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & glorificatur. Quod ante Constantinopolitanorum Patrum Convantum fuisse factum, ex Epiphani Anchorato jam confirmavimus.

115. Si autem eidem adhuc obijciatur autoritas Photii Tyriorum Episcopi in Conciliorum Synopsi à se concinnata, ubi postquam narraffet, Patres Nicænos Symbolum fidei exposuisse usque ad Capitulum illud, Credo in Spiritum S. de Patribus CP. postea suo loco addit: Orthodoxam fidem confirmarunt, & Spiritum S. quæque verum Deum, & consubstantialem Patri prædicarunt, addentes prædicto Nicæna Fidei Symbolo & ipsa: Et in Spiritu S. Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit, &c. usque ad vitam futurei sæculi Amen. Atque in Fidei Orthodoxæ Symbolum complentes, Ecclesie tradiderunt.

Respondet, quod Photius non animad-

verterit, ante habitum Concilium CP. ista omnia ab Epiphano in Anchorato fuisse repetita: nec aliud quicquam consideraverit, quam quod in Chalcedonenis Concilii definitione relata Nicæni, & CP. Synodi Symbola, eo quod ab ipso proposita sunt, modo distincte recitata audivisset. Quod tamen à Concilio illo recte fuisse factum nempe dubitabit, qui consideraverit CP. Patres ampliorē illam fidei formulam non Synodica solum sua autoritate, ut vere Catholicam, ab Ecclesiis omnibus recipiendam decrevisse: verum etiam ex ea Nicæni Symboli parte, quæ ipsi habebatur inserta, non integram (uti ab Epiphano recitatum legitimus) retinuisse, sed brevitate gratia tria commata resecuisse, atque ea ratione suam quodammodo effecisse. Si enim hæc ipsa CP. formula, duabus aucta particulis (videl. Filioque) ita nova (quemadmodum in libro de processione Spiritus S. Anselmus voluit) censenda fuerit, ut jam non tam CP. nomen, quam Symboli fidei, & Romana utitur Ecclesia in Trid. Concil. fidesiue 3. suo quasi jure obtinuerit: quidni & alter ille typus, tribus suis membris ita diminutus in CP. nomen pariter potuisset concedere?

116. Quæ responsione, & præsens argumentum, & superiores replicas ad suam ibi datam solutionem, quod nempe præfati textus loquantur de Tomo à Concilio CP. præter Symbolum edito, solvere nititur, præcendendo videlicet ab illo Tomo, & asserendo omnia illa testimonia una cum præfati autoritate posse esse vera, et de præfati Symbolo loquantur, cum illud in sensu explicato recte possit dici à Patribus CP. concinnatum, eo quod illud & confirmatione, & dicta diminutione suam effecerint, auferendo videlicet à Symbolo Anchorati primo to Deum de Deo, quia mox sequebatur Deum verum de Deo vero; secundo to, & que in celis, & que in terra: quia statim præcesserat to omnia facta sunt; tertio illam generationis Filii explanationem; hoc est, ex substantia

tia Patris, quod illum in *to Homoufion* sufficienter comprehendi crederent. Huicque Ufserius.

117. Mihi utriusque partis fundamenta expendenti certa videntur sequentia: primo: quod præter Symbolum Apostolicum à Nicænis PP. interpolatum, quodque articulo de Spiritu S. desit, Ecclesie tum Orientales, tum Occidentales retinuerunt profèssique fuerint variantia sua Symbola Apostolica desinentia vel in *carnis refurrectione*, vel in *uita æterna*, non inserta illis PP. Nicænorum explicatione relata, ut patet tum ex Symbolis Orientis Hierosolymitano, & Alexandrino, tum Occidentis Romano veteri, Aquilejensi, & vulgari, quo de facto utimur.

118. Secundo. Quod ante Concilium CP. Nicænum Symbolum, & interpolatum fuerit per verba, quæ supra N. 100. notauimus, & etiam per ea, quæ post articulum de Spiritu Sancto reperiuntur, continuatum, siue deinde hæc interpolatio, & continuatio facta fuerit ab ipsis Nicænis PP. post dissolutum Concilium, siue ab illorum aliquibus, qui in Ecclesia insignem adepti sunt autoritatem, siue denique à Gregorio Nysseno ante ipsum Concilium CP. ex motivo ab Ufserio supra relato, ut videlicet hoc pacto uno quasi intuitu omnium simul Ecclesiarum fidem conspiciendam exhiberet; hoc enim manifeste evincit ipsum Symbolum ab Epiphano cum his additamentis in Anchorato l. c. relatum.

119. Nec obstat ejusdem Epiphani autoritas, qui l. cit. de hoc Symbolo subdit: *Et hæc quidem fides tradita est Apostolis, & recepta in Ecclesia in Sancto Urbis Nicæna Concilio ab omnibus simul tunc presentibus Episcopis trecentis, & decem, & octo numero*; Nam Symbolum ab Epiphano recitatum ab illis simul tunc presentibus non esse receptum quoad verba, & sententias, sed tantum quoad sensum, & spiritum, evincunt autoritates supra N. 100. & 102. contra Eliam Crea-

tentem allate, ubi Nicænum Symbolum prout conciliariter editum refertur, & minutum multis capitibus, quæ in præsentibus leguntur, & desinens in articulo de Spiritu Sancto manifeste legitur.

120. Quapropter ex his præmissis sequitur Conclusio, quam sequenti Propositione stabilimus.

PROPOSITIO.

Hujus Symboli additamenta non sunt primum facta à Patribus CP. sed prius Nicæno Symbolo jam adjecta. Quo tamen non obstante, recte Patres CP. cum ipsi sibi in sua ad Theodosium M. Nuncupatoria, & Synodo, tum Concilium Chalcedonense, & Justinianus Imp. ipsis hoc Symbolum adducunt; partim quia illud, quantum ad additamenta attinet, Synodaliter necdum factum, Synodica sua autoritate, ut vere Catholicum, ab Ecclesiis omnibus recipiendum decreverunt; partim quia illud, ut ab Epiphano recitatum, non integrum retinuerunt, sed brevitatibus gratia tria commata infecerunt.

Utraque conclusionis pars constat ex utriusque sententiæ præmissis. Estque sententiæ Ufserii conformis, præterquam quod responsioni ejusdem ad posteriorem objectionem N. 115. propositam in hærendo, priorem N. 107. datam de Tomo illo à Symbolo separatim edito negligat, cum posterior responsio autoritates allatas satis conciliat.

QUÆSTIO HISTORICA.

Utrum Symbolum Constantinopolitanum semper ab Ecclesia fuerit receptum?

121. **R**ationes dubitandi sunt sequentes. Prima, quia in decreto Synodi Sardicensis, quod S. Athan. laudat in ep. ad Antiochenos edit. cit. pag. 35. ian-

fancitur, nihil ulterius de fide scribendum esse, Nicænam sufficere fidem, neque aliud Symbolum edendum: *Ne illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide desiniant*. Secunda, quia Episcopi Aegyptii in Concilio Chalcedonensi contra qualvis additiones Nicæno Symbolo factas acerrime reclamarunt, dicentes: *Nemo suscipit adjectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa constituta sunt, teneant, Catholicus Imperator hoc iussit*. Confirmatur ex eorum ep. ad Leonem Augustum, quæ exstat ordine 24. post Concilium Chalced. apud Colet. pag. 1848. ubi Synodum CP. expresse verbis reprobant, dicentes: *Synodum vero quinquaginta nescimus*. Tertia, quia Author libri Pontificalis de Hilario Pontifice M. scribit, ipsum confirmasse tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, nulla mentione facta de CP. in qua præsens Symbolum est editum. Simplicius etiam Papa ep. 5. ad Acacium CP. & Felix III. ep. 2. ad Leonem Aug. tres illas dumtaxat Synodos prædicant velut ab Ecclesia approbatas, & confirmatas. Nihilominus

PROPOSITIO.

Dicendum: Symbolum CP. semper ab Ecclesia, ut testera Fidei, receptum est.

122. **P**robatur. Symbolum hoc à Catholicis siue Synodis siue Pontificibus nunquam legitur reprobatum, imo ab illidem legitur approbatum; cum ergo Concilia Generalia cum Romano Pontifice universam representent Ecclesiam, Symbolum hoc semper ab Ecclesia ut testera fidei receptum est.

Prima pars A. constat ex solutione objectionum, secunda vero probatur, & primo quantum ad Concilia ex Concilio Œcumenico Chalced. in supra N. 105. citata definitione fidei, ubi PP. ita statuant: *Decernimus presulgers quidem*

recta, & immaculata fidei expositionem SS. & Beatissimorum 318. Patrum, qui in Nicæa temporibus pia memoria Constantini M. congregati sunt: servari autem & ea, quæ apud CP. à Sanctissimis 150. Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem Hæreses, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem ejusdem Catholicae & Apostolicae nostræ Fidei. Huc spectat, & ille locus, quem supra N. 105. ex eadem Synodo Generali retulimus. In quibus Patres non de aliquo tomo à Patribus CP. separatim à Symbolo edito, sed de præsentis Symbolo loqui supra N. 108. contra Ufserium monstravimus. Nec obest, quod l. c. Patres Chalced. dicant, Patres CP. sium de Spiritu S. intellectum Scripturarum testimonii declarasse: hoc enim sine violentia de Symbolo intelligi potest, cum tam ly à Patre procedit, quam qui locutus est per Prophetas sicut Scripturarum testimonia. Ioan. 15. 26. 2. Petri 1. 21.

123. Probatur eadem pars quantum ad Romanos Pontifices, & primo ex Gelasio P. M., qui eodem, quo Synodus Chalcedonensis celebrata est, sæculo vixit, videlicet V. hic enim in Romana Synodo à se celebrata inter alia scripta authentica, quæ Romana Ecclesia post sacras veteris novique Testamenti Scripturas suscipit, recenset & laudat S. Synodum CP. mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius Hæreticus debitam damnationem accepit. Refertur hoc Decretum apud Colet. tom. 5. pag. 385. Secundo ex S. Gregorio M. cujus adeo celebrata est vox: *Quatuor prima Concilia, tanquam quatuor DEL Evangelia veneror*. Et lib. 6. Ep. 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Patriarchas data, illius Synodi decreta fidem spectantia (in quibus utique est Symbolum) ab Ecclesia recepta asserit; Canones vero, si primum, qui anathema in Hæreses stringit, adeoque etiam ad fidem spectat, excipias, non approbatos. Romana Ecclesia, inquit, Canones hujus Synodi non accipit;

in hoc autem eandem Synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero Hæreses, quæ illic memoratæ sunt, (nempe in Canone 1.) ab aliis jam Patribus damnatas reprobata. Exstat hæc ep. operum ejus tom. 4. edit. Paris. de a. 1619. pag. 216.

Solvuntur Rationes dubitandi.

124. **A**D primam resp. Nat. Alex. Diss. 37. in Hist. Eccl. Saculum 4. novum bifariam dici posse Symbolum; vel novum pœnitius, vel explicatione novum. Venit itaque Synodus Sardicenis, ne Symbolum pœnitius novum, & alterum à Nicæno conderetur, quia illius Symboli voces, utpote divinitus inspiratas, & totius mundi reverentia consecratas illibatas esse voluit, & à nullo deleri, aut deleri passa est, quasi insufficientes essent: ne Eusebianorum, seu Arianorum, nova in dies eudentium Symbola, temeritas, Catholicorum firmaretur exemplo. At novum explicatione Symbolum condi non prohibuit; ita ut nimirum retentis universim Nicæni Symboli capitibus, quædam majoris explicationis gratia contra emergentes Hæreses adderentur; quomodo CP. Synodus contra recens exortos Macedonii, & Apollinaris errores nonnulla addidit Nicæno Symbolo.

125. Nos, qui supra monstravimus hæc additamenta jam fuisse facta ante Concilium CP., respondemus, ex factis tam illorum PP., qui Symbolum Nicænum amplis explicationibus auxerunt, quam Patrum CP., qui aliquas iterum resecurunt, colligi, hunc esse sensum decreti Sardicenis; non enim credibile est Episcopos privatos vitæ sanctitate, & doctrina celeberrimos, qualis fuit inter alios Epiphanius, fuisse tam temerarios, vel Concilium Generale CP. tam inconstans, ut decretum prioris Concilii Generalis Sardicenis, quod fuit Appendix magni Concilii Nicæni, constatum ex plerisque Nicæ-

nis Patribus, vel neglexissent, vel factio suo correxissent, nisi credidissent novum explicatione Symbolum ibi non esse prohibitum. Unde Epiphanius l. sæpe citato, post interpolatum Symbolum Nicænum, quod nihilominus fidem à Nicænis PP. receptam vocat, multo adhuc longius, & interpolatius Symbolum recitat, quod suo tempore ob emerfas novas Hæreses Gatechumeni in Cypro ante Baptisimum reddere debebant.

126. Dices. Juxta Nat. Alex. sensus decreti Sardicenis est, ut Symbolum Nicænum servetur intemeratum quoad capita & Verba; atqui PP. CP. minuendo additamenta aliunde jam huic Symbolo facta, ipsum Symbolum minuerunt quantum ad verba: ergo hæc diminutione egerunt contra Decretum Concilii Sardicenis: qua ratione ergo à Romana Ecclesia, Sardicenis Concilii observantissima, susceptum dici potest? P. m. in Nicæno Symbolo post *ly natum unigenitum*, additur: *Id est substantia Patris*; in Symbolo, quod in Anchorato refert Epiphanius, hæc etiam habentur; in Symbolo vero CP. rejecta sunt: ergo PP. CP. Symbolum minuerunt quantum ad verba. Et quidem illa, propter quorum abolitionem Ariani totum orbem commoverunt, & propter quorum retentionem Orthodoxi fortunas, famam, vitam impenderunt.

Resp. transmissa M., cum in cit. decreto tantum habeatur: *Et de fide ulterius nihil scribatur; neque alia Professio Fidei edatur*. Quamvis alias PP. in prima illa Arianorum post Concilium Nicænum tempestate literas hujus Symboli ceu cimelia aservarent; D. mi. Patres CP. ex Symbolo resecurant verba unius capituli, quæ in sequenti explicite repetebantur, C. quæ ibi non repetebantur, N. m. & C. Dicitur autem in eodem Symbolo post pauca comata *Filius consubstantialis Patri*, quod idem est ac *genitus ex substantia Patris*: quapropter Patres CP. auferendo priora, nihil de Symbolo Nicæno proprie resecurant.

runt. Idem dic de aliis 2. particulis ex N. 116.

127. Ad 2. rationem dubitandi resp. nihil esse mirum, quod Episcopi illi Ægyptii CP. Symbolum exploserint, ac soli Nicæno stare voluerint, quia Eutichetis, & Diocori partibus adhærebant. Eutiches vero in sua Professione solam Nicænam, & Ephesinam Synodum admittebat, silentio damnans CP. Quia nempe Nicænum Symbolum solius divinitatis fidem certis finibus, & verbis circumscripterat, Incarnationis vero Dominicæ non ita explanaverat sacramentum. Unde cum Ægyptii illi Antitites dixissent, *nemo suscipit adjunctionem, &c.* Orientales, & qui cum ipsis erant, Reverendissimi Episcopi, merito clamaverunt: *Hæc Eutiches dixit*. Et vero floccifiaciendus esset illorum Ægyptiorum clamor, quantumvis Catholici fuissent, cum Synodus Chalce. univ. CP. Symbolum comprobaverit, ut in probatione propositionis vidimus. Quamvis se ab Eutichetis, & Diocori partibus stetit ultrotrone fateantur in cit. ipsorum ep. ad Leonem Augustum data, utpote in qua proferuntur, se communicare *Synodis in Ephefo factis*: & eadem credere, quæ Timotheus Ælurus in Alexandrinam Sedem ab Eutichianis intrusus, Concilii Chalcedonenfis infensissimus hostis.

128. Ad tertiam resp. Pontifices laudatos CP. Synodum ideo prætermisisse, quæ spectari potest vel quoad fidem, vel quoad Canones in illa conditos. Et quoad Canones recepta quidem non erat ab Ecclesiis, unde nullam illius oportuit fieri mentionem; quoad fidem vero à Nicæna non discrepat, nisi penes majorem, & minorem explicationem. Unde satis superque nomine fidei Nicæne probata est. Utrumque enim Symbolum pro uno, & eodem passim habitum est ab Auctoribus Ecclesiasticis. Sic illud accepit Concilium Ephesinum, sic Marcus Ephesinus in Synodo Florentina sess. 5., sic Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum, cujus locum infra N. 168. referemus.

QUÆSTIO HISTORICO-CRITICA.

Quando, & à quo particula *Filioque* addita sit Symbolo Constantinopolitano?

129. **U**T Quæstioni huic tantopere obscura atque insuper à multis obscure pertractata lucem aliquam affundamus, bifariam procedemus: & primo quæremus à quo, & quando hæc particula *Filioque* huic Symbolo primum fuerit addita? Secundo, à quo, & quando fuerit in Ecclesia Romana recepta, ac pro univ. sali Ecclesia approbata?

130. Circa utrumque propositæ difficultatis membrum variant Auctores; nam, ut de primo Ordine agamus, alii in hoc ipso Concilio audent asserere additam: sed hi graviter hallucinantur, tum quia nullum exemplar hujus Synodi illam habet; tum quia alias Romæ latum fuisset in usu, quod tamen falsum est; tum quia hoc Græcis à PP. Latinis in Concilio Florentino fuisset objectum, quod tamen factum haud est.

131. Alii asserunt hanc additionem fuisse factam in Concilio Generali VII. seu Nicæno II. a. c. 787. contra Iconomachos celebrato; quod in dicto Conc. Flor. Julianus Card. Sess. 5. & Andreas Colossensis Sess. 7. vetustissimi Codicis Græcis probare nisi sunt. Sed hæc etiam sententia facile refellitur: quoniam si ita esset, non hoc fugisset Græcos, qui animis ad veritatis, & pacis studium proflus comparatis, ut ex colloquiis inter illos, & Latinos ibi patet, in hæc Synodo comparuerunt, & aliqui saltem Codices, præter eum, quem Romani Græcis ostentabant, hanc additionem habuissent. Adde quod magni ponderis est, Anastasium Bibliothecarium, qui annis solum 70. post septimum Synodum floruit, eamque latinitate donavit, hoc in ea non legisse additionem. Sed esto ibi reperitur, non tamen ab illo Concilio potest dici hæc particula *primum*

addita, sed magis recepta, & post approbationem Synodi pro universalis Ecclesiae consecrata, cum longe ante illud addita reperitur in Concilio vulgo Hispanico, alias Celsenſi a. 447. & si in hoc non, tunc certe in Toletano III. quod a. 589. & in VIII. quod a. 613. celebratum est, & in aliis Hispanici Synodis. Alius ergo Epocha hujus additamenti quaerenda est.

132. Alii igitur, ut Alexius Aristenus Ecclesiae CP. Diaconus, in opere, quod inscribitur: *Conspicuum omnium Canonum editorum à sex Conciliis Generalibus, &c.* cum quibusdam adhuc, quos tom. 1. operum posthumorum tr. 1. de processione Spiritus S. disp. 1. contro. 10. §. 1. citat recentissimus ac doctissimus Controversiarum Scriptur Liberius à Jesu Carmelita Discaipulo, autumant Damasum PP. non quidem in Concilio Generali, sed in Romano particulari ejus particulae Symbolo adjecta fuisse Authorem.

133. Alii è contra, inter quos Binius in notis ad Concilium CP. V. *Credimus, &c.* affirmant, quod tò *Filioque* auctoritate Leonis M. ad confutandos Hereticos Priscillianistas ab Hispanis Episcopis superadditum fuerit in Concilio à Tarracoenſibus, Carthaginensibus, Lusitanis, & Boeticis Episcopis a. 447. celebrato, adeoque ultra medium, post Damasum Pontificem, Saeculum. Cum quibus statimur

PROPOSITIO I.

Additio particulae Filioque non à Damaso Papa in quodam Concilio particulari Romae celebrato, sed in Concilio Hispanico a. c. 447. habito auctoritate Leonis M. Symbolo CP. fuit primum addita.

134. ANtequam primum membrum probetur, operæ pretium erit, ut advertam, Liberium à Jesu, doctissimum simul ac celebratissimum alias Authorem,

praesentem quaestionem exacte non tractare; nam primo l. c. N. 218. tenet, eam opinionem, videlicet Alexii Aristeni, facilius fidem capere, quæ docet Damasum in dicto Romano Concilio adjecta Symbolo particulae fuisse Authorem. N. vero 221. in responsione dicit: *Tamen conciliantur* (Authores nempe, qui Damaso hanc additionem adscribunt, sed circa Concilium, in quo facta fuerit, discrepant) *in eo, quo Damascus formulam, & instructionem fidei Patribus transmissit, ne errarent in fide: verumtamen, quia nondum oborta fuerit Hæresis, optimum duxit, nihil explicite superaddi.* Et tandem N. 226. ait: *Sic tamen dissidium facile componas, si dixeris, Damasum rem primo statuisse, ac tradidisse Hispanis, aliisque, non præceptive, sed permissivæ.*

135. Quæ si combinentur, quomodo Damasum Authorem hujus additionis faciant, quomodoque sententias discrepantes concilient, non video. Si enim, ut secundo loco ait, optimum duxit Damasus nil explicite superaddi, quomodo adjecta Symbolo particula est author? & dicendo, Damasum rem primo statuisse, tunc quid his terminis adeo amplius vult dicere, cum enim accerrime negaret processionem Spiritus S. à Filio, se ipsum condemnasset, referendo talem additionem factam à Pontifice.

139. Sed quantum ad primam responsionem quaero: ubi sint hæc aliquot exemplaria, in quibus repertum sit sæpe factum additamentum? Et ubi Scriptores, & Historici, quibus ex his exemplaribus probatis hoc innouit? Authores sunt ipse Alexius Aristenus, qui sæculo 12. scripsit; ipsum sæculo 15. sequitur Josephus Methoniensis Episcopus, egregius ex Græcis PP. Concilii Florentini, & dogmatis Catholici de Spiritu S. à Filio processionis contra impium Marcum Ephesium Defensor, in responsis ad eundem Marcum, relatus tom. 18. *Concilior. collect. Colet. pag. 600.* ubi pag. 699. suam sententiam in illo

Ecclesia crediderit, quos propterea hujus additionis Authores dicere quis audebit? Quapropter ampliorem Liberi propositionem ad sensum Authorum, qui ab ipso ibidem citantur, & nihilominus contra Alexandri argumenta defenduntur, reducendo, dicimus Damasum particulam *Filioque* feriei Symboli primo non inseruisse, & ita

136. Prob. primum membr. Propositionis. I. Quia neque in actis ullius Concilii Romani à Damaso habiti, neque in Historia bipartita, neque in Epitola ad Paulinum hoc additamentum reperitur. II. Quia si ea additio facta esset à Damaso, & ejus Synodo, illius certe Theodoretus in sua Historia Ecclesiastica meminisset, ubi Damasi Synodicam ad Episcopos Illyricos refert.

137. Ad primum resp. Liberius. Per hoc minime infringi veritatem sententiae Aristeni. Sufficit enim in aliquot probatis exemplaribus repertum esse supradictum additamentum, & Scriptoribus, atque Historicis innotuisse. Potuit enim abradi ab actis Concilii, & literis ad Paulinum.

138. Ad secundum ait: nil mirum, quod Theodoretus illam additionem omiserit; cum enim accerrime negaret processionem Spiritus S. à Filio, se ipsum condemnasset, referendo talem additionem factam à Pontifice.

139. Sed quantum ad primam responsionem quaero: ubi sint hæc aliquot exemplaria, in quibus repertum sit sæpe factum additamentum? Et ubi Scriptores, & Historici, quibus ex his exemplaribus probatis hoc innouit? Authores sunt ipse Alexius Aristenus, qui sæculo 12. scripsit; ipsum sæculo 15. sequitur Josephus Methoniensis Episcopus, egregius ex Græcis PP. Concilii Florentini, & dogmatis Catholici de Spiritu S. à Filio processionis contra impium Marcum Ephesium Defensor, in responsis ad eundem Marcum, relatus tom. 18. *Concilior. collect. Colet. pag. 600.* ubi pag. 699. suam sententiam in illo

fundat. Quod idem facit Genebardius de Trinit. qui scribit fuisse apud se fragmentum operis Alexii Aristeni, in quo illud de Concilio Romani decreto, & Damasi Symbolo legebatur. Consentunt Simon CP. Episcopus ad Joan. Nemophilacem, & Leo Allatus contra Hottingerum. Sed omnes in testimonio Aristeni fundantur. Habemus ergo Authorem unum, qui, si in aliquot probata hujus Synodi exemplaria incidit, quæ Scrinia Romana, & Occidentis Bibliothecæ tempore Dionysii exigui, aliorumque, qui acta Conciliorum, Canones, Epistolas Pontificum, herculeo labore conquisiverunt, eisdem exhibere non poterunt, plaudimus. Cæterum grande præjudicium huic responsioni afferunt verba ipsius Josephi Methoniensis l. cit. dum inquit: *Neque enim solum ante Schisma Ecclesiarum appositum erat (tò Filioque) Symbolo, sed ante ipsas Synodos Œcumenicas, septimam dico, & sextam (videlicet in Hispanicis supra relatis) ut testatur Confessor Maximus in Epistola ad Martinum Presbyterum Cyprium; nec ante illas tantum, ut dictum est, sed mox à secunda Synodo tempore Papæ Damasi, ut asserit Gregorius (quem Liberius, Natalis, & ex ipso Gravelon vocant Alexium, fors duo nomina habentem) Aristinus Historicus. Ergo Aristinus, teste Methoniensi, censet hanc particulam in præfati CP. Synodo Symbolo additam: quam opinionem omnium eruditorum conspiratione supra rejecimus. In quos ergo probatos codices incidit? Grati etiam dicitur hoc additamentum potuisse abradi ab actis Concilii, & literis ad Paulinum: nonne enim omnia exemplaria rasa sunt? unde provide quidem huic responsioni subjungit Liberius: *Haud ignorem evidentem non probari: an aures id quod subnectit, an neque opposita probabilitatem destruunt, subsistat? Lector judicet.**

140. Contra responſionem ad secundum est, quod, cum Theodoretus historiam Ecclesiasticam non scriperit ante an-

nam Christi 445. uti colligitur ex ejus Epistola hoc anno ad Eusebium Ancyranum data, illo autem tempore jam errorum Fidei fuerit, & à Nestorii erroribus penitus alienus, uti ejus amicitiam necdum ejuraverit, ut constat ex hac ipsa Epistola, & ex illa ad Dioscorum eodem anno data; non est, cur ei hæc falsitatis nota inauratur. Legatur Natalis Alex. in hist. Eccl. sac. 5. cap. 5. pag. 148. ubi fragmenta harum Epistolarum refert, & objectiones quasdam diluit.

141. Confirmatur utraque ratio N. 136. adducta ex S. Thom. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. quem locum mox expendemus. S. Thom. loc. cit. ait: Hanc additionem factam fuisse, insurgente quorundam errore circa Spiritus S. à Filio processionem; sed tempore Damasi error ille necdum exortus fuerat: ergo non est credibile hanc additionem fuisse factam à Damaso. M. est S. Thom. & fundatur in factis antiquorum Conciliorum; sic enim Nicænum Concilium ad excludendum errorem Arii Symbolo Apostolico *to Homouiston* addidit; sic Episcopi Cyprii, & alii Symbolum Nicænum multum ampliarunt per illud Symbolum, quod Epiphanius refert in Anchorato ad hæm; sic Patres CP. præfens Symbolum consecrarunt, nihil addituri Symbolo Apostolico, nisi Hæreses fuissent excludendæ, & Fideles hac veluti tessera ab illis secerandi. M. p. ex eodem S. D. l. c. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quod Spiritum S. non procedere à Filio primo fuit à Nestorianis introductum*; sed tempore Damasi necdum erant Nestoriani: ergo. P. m. Damasi mortuus est a. c. 385. & Nestorius Hæresim suam moliri cepit a. c. 427. ut ex Lucretii Chronico Liberatus refert: ergo tempore Damasi necdum erant Nestoriani.

142. Confirmatur II. Si hæc additio fuisset facta in Synodo Romana ad confirmandum Concilium CP. sub Damaso celebrata, Romana Ecclesia illud cum hoc additamento recitasset; sed contrarium est

factum: ergo hæc additio ibi non est facta. M. patet; ad quid enim Romæ hæc additio synodice facta fuisset, si Roma illam non usurpasset? M. p. Sæculi noni initio Leo III. si non prohibuit, saltem egerime tulit hoc additamentum in Gallis, atque aliis particularibus Ecclesiis usurpari, dixitque ad Legatos Concilii Aquigranensis: *Nos enim (Romæ) id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere, quidpiam eidem Symbolo inserendo, præsumimus*; uti constat ex actis collationis Legatorum illorum cum Leone III. habitæ, quæ habentur in Colet. Concilior. collect. tom. 9. pag. 278. & seq. ergo contrarium Romæ factum est.

143. Probatur nunc secunda pars ejusdem propositionis, expendendo locum D. Thom. supra ex p. 1. q. 36. a. 2. ad 2. alatum, ubi S. D. ita habet: *Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum S. non procedere à Filio, non fuit necessarium, quod hoc explicite poneretur: sed postea exurgente errore quorundam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato expressum fuit auctoritate Romani Pontificis. Quem locum dum attentius considero, in eo S. D. indicare Concilium Hispanicum in propositione relatum magis ac magis confirmor. Etenim Hispanias esse in Occidentalibus partibus nemo nescit; & tempore Leonis Nestorianos, & Theodoretum hunc articulum primo inficiatos fuisse, Hitoria Ecclesiastica, & S. Thom. loc. cit. ad 3. nos docet. Illius vero auctoritate congregatum esse hoc Concilium constat ex Lucretio Bracarenis Episcopo in Concilio Bracarenis II. aut potius I. ita dicente: *Credo vestra Beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscilliana sectæ venena serpebant, Beatissimus Papa Urbis Romæ Leo, qui quadragesimus fere exiit Apostoli Petri Successor, per Turribium Na-*
tarium*

tarium Sedis sua ad Synodum Gallicia contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lustrani quoque & Boetici, facto inter se Concilio regulam fidei contra Priscillianam Hæresim cum aliquibus capitulis confiterentes ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ Presulem direxerunt. Habetur hæc ep. ad Turribium in Colet. Concil. collect. tom. 4. pag. 656. Denique in hac Fidei regula (quæ male à Collectoriibus Coletum præcedentibus assuitur Toletano I. Concilio, ut ostendit Quesselius *Dissert. de Libellis in Codice Ecclesiæ Romane* N. 8. & notatur à Coletom. 2. pag. 1475.) habetur hoc additamentum his verbis: *à Patre, Filioque procedens*: tandem hoc additamentum ab illis Patribus non obvie, & sua auctoritate, sed ex verbis epistolæ ad eos à S. Leone scriptæ factum fuisse, patet ex illius cap. 1. in quo SS. illis Pontifex demonstrat, *quam impie sentiant de Trinitate Divina, qui & Patris & Filii & Spiritus S. unam atque eandem asserunt Personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. nominetur; nec alius sit qui genuit, alius, qui genitus est, alius, qui de utroque procedit*. Ergo illud additamentum primum factum est in hoc Concilio auctoritate Leonis M. qui illud approbavit.

144. Dices cum Quesselio. Hoc Symbolum temporem progressu fuisse interpolatum, cuius ejus exemplaria tam in MSS. edicibus, quam in editis sint valde diversa, & in aliquibus habeantur 12. Anathematismi, inter opera vero S. Augustini illis 12. alii 14. addantur; & imprimis hæc verba videantur recentiore manu redolere: ergo dubiam hujus additionis facit Epocham.

145. Sed contra est: Quidquid sit circa variationem hujus Symboli, imprimis hæc verba exstare in Autographo hujus Symboli suadet, quod Quesselius nullum exhi-

beat, nec fortasse exhibere possit codicem sive MS. sive editum, in quo hæc verba desunt. Secundo, quia in Bracarenis II. aut potius I. Concilio a. c. 563. celebrato, cui illius Metropolitæ Episcopus Lucretius, cuius verba supra retulimus, præfedit, lectum est exemplar Fidei in hoc Concilio editum cum suis capitulis, quæ quamvis, ne prolixitatem facerent, gellis hujus Concilii non sunt inserta, id, quod dolemus; nihilominus, quia Recaredus Rex in Concilio Toletano III. à c. 589. seu annis post Bracarense 26. celebrato in formula Fidei CP. Patribus porrecta profertur Spiritum S. à Patre, & Filio procedere, & Patres Anathematismo III. dicant: *Quicumque Spiritum S. non crediderit à Patre, & Filio procedere — Anathema sit*: verosimilium censo & Recaredum, & Patres tum Toletanos, tum Bracarenses hoc additamentum in citata à se formula Fidei legisse, eamque ab illius Concilii Epochæ Seriei Symboli CP. insertam fuisse. Non enim tanta temeritatis erat Sanctissimus ille & Solestissimus Rex, ut sua auctoritate Symbolum CP. per particulam *Filioque* interpolasset; si communiter ab Hispanis tunc non fuisset ita reddum. Sed quod maxime recentiorum manuum ab hoc Symbolo removeret, est ipsa Epistola citata Leonis I. quæ cum pro Synodura Hispanicæ Synodo fuerit, ex illius c. 1. mox adducto particulam illam *Filioque* Symbolo CP. insertam fuisse, non est, qui rationabiliter dubitare possit.

146. Non ignoro in Concilio Bracarenis, quod primum appellatur, atque à Coletio ex c. 2. libri 6. Monarchiæ Lusitanæ Fr. Bernardi de Brito Cisterciensis, & Chronologi Generalis ceteris Conciliis est intertextum tom. 3. pag. 345. atque ad a. c. 411. collocatum, in Fidei professione legi *Credo in Spiritum S. procedentem à Patre, & Verbo*: sed id notæ sententiæ parum obest; nam illud Concilium esse supposititium putat Perezus Canonicus

nonicus Toletanus, qui primus Pseudo-dextri, & Pseudo-maximi fraudes detexit, & Cardinalis Aguire admonet. Si quis hoc Concilium putet genuinum, inferiori certe, quam reliqua, auctoritatis gradu esse habendum. Denique accuratissimus Pagius ad a. c. 411. N. 29. censet, quod Concilium Bracarense hoc anno à Labbeo confirmatum, nec primum, nec forte genuinum dici potest. Hic enim articulus Fidei, qui in eo legitur: Credo in Spiritum S. procedentem à Patre, & Verbo, suppositionem satis pradiit; cum hoc circiter tempore S. Cyrillo crimini datum sit, quod similem propositionem probasset, adeo ut se se de ea purgare coactus sit. Quo loco (in hic incidenter observem) iterum premuntur illi, qui dicunt Damasum in Concilio Romano hoc additamentum fecisse, atque vel litteris ad Paulinum, vel ad Illyricos, aut ad Orientales, seu CP. Patres, post celebratum ab ipsis præsens Concilium missis inferuisse, quod postea Theodoretus malitiose omiserit, ut vult Liberius: quo pacto enim Cyrillus se purgare debuisset à propositione à Pontifice, quem totus suspexit, sequebaturque Oriens, synodice jam sancita? Sed procedamus ad propositionem secundam, in qua resolvemus à quo, & quando hujus additio particularis in Ecclesia Romana recepta ac pro universalis Ecclesia approbata fuerit? Prius tamen ad pleniorum illius additamenti notitiam

147. Observandum I. additionem particulæ Filioque, in Hispanis sæculo V. & VI. jam usurpatam, à Gallis, & Germanis sæculo VII. exunte, vel VIII. ineunte quoque admittam fuisse, quamvis incertum sit quo anno. Fortassis, inquit Nat. Alex. hic, in Concilio Gentiliacensi, quod a. c. 727. præsentem Pipino Rege celebratum est, quia in eo Græcos inter, & Latinos de processione Spiritus S. disputatum est. Vires autem accepit sæculo IX. in Concilio Aquigranensi, quod a. c. 809. habitum, & in eo rursus de processione Spiritus S. disputatum est.

148. Observandum II. tamquam certum, sæculi IX. initio hanc additionem non viguisse in Ecclesia Romana; quamvis enim Leo III. Decretum Synodi Aquigranensis mox cit. de Spiritu S. à Filio processione à Legatis Synodalibus Bernario Wormaticentium, Jesse Ambianensium Episcopis, & Adalardo Corbejanum Abbate sibi oblatum probaverit; hanc tamen additionem Symbolo factam una cum cantu ejusdem probavit minime: ut supra N. 142. vidimus. Imo antiquitatis tenacissimus, & pacis Græcos inter & Latinos conservandæ studiosissimus, non tantum prædictis Legatis suasit, curarent, ut cantus hujus Symboli cum hocce additamento Parisiis in Palatio ommitteretur, ratus fore, reliquis Ecclesiis hoc exemplum securatur; uti constat ex colloquio mox cit. sed & ipse Symbolum in argentea tabula sine hocce additamento scribi jussit, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in ejus vita, his verbis: (Leo) pro amore, & camela orthodoxæ Fidei fecit in B. Petri Basilica scuta argentea duo, scripta utraque Symbolo, unum quidem litteris græcis, & aliud latinis; in quo quidem Symbolo (inquit Magister sententiarum lib. 1. dist. 11.) in processione Spiritus solus commemoratur Pater.

149. Dubium ergo solum superest, sub quo Pontifice, & quando post tempora Leonis Tertii hoc additamentum in Romana Ecclesia fuerit susceptum, & ita pro universalis Ecclesia approbatum? ubi iterum illorum sententia sustineri nequit, qui opinantur hanc additionem pro universalis Ecclesia, & sub precepto esse receptam sæculo XIII. in Concilio Lugdunensi, in quo præsens Symbolum cum hac additione à Græcis, Latinisque solemniter decantatum est, hac sententia ter repetita: Qui ex Patre, Filioque procedit; cum certum sit initio sæculi IX. sub Benedicto VIII. ad preces Henrici Imperatoris Romæ jam ceptum esse cantari Symbolum istud, sicut in aliis Ecclesiis jam tum cantabatur, seu cum additione Filioque,

ut

ut testatur Beruo Augiensis libro de rebus ad Missam spectantibus c. 2. his verbis: Cum Romanorum Presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur post Evangelium, ut in aliis Ecclesiis fiebat, Symbolum non canerent in me assistente audivi eos ejusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non visisset aliquando ulla Hæreseos fece infecta; --- & ideo magis ipsis necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando Hæresi potuerunt maculari; at Imperator non antea desistit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. Illud scilicet Symbolum, quod alibi in Ecclesiis canebatur. Cum autem alibi jam fuisset addita particula Filioque; sequitur ex laudato Auctore, Symbolum CP. cum additione Romæ cantari ceptum esse sub Benedicto VIII.

150. Hæc tamen auctoritas, cum de sola receptione cantus hujus Symboli, non item de receptione additamenti simpliciter loquatur, controversiam circa epocham illius additamenti non dirimit: quapropter alii existimant, id factum esse tempore Christophori Pseudo-Pontificis, qui anno 908. seu ad initium sæculi X. Leonem V. sede exturbavit, & post septem menses ipse à Sergio III. dejectus est: Sed nullo pacto (inquit Baronius ad a. c. 883. pag. 596.) possunt ista tribui Christophoro, qui in vasa Apostolicæ Sedis, mox sede pulsus, periret tempore eam retinuit tumultuose. Græci autem calumniose à Christophoro id factum dixere, quem noverunt insani ingressu turpissimum. Alii ergo, ut Vossius, dicunt, hanc additionem in Romana Ecclesia esse receptam sub Gregorio III. mox relato; sed horum sententiam retellit Natalis Alexander sæculo IV. dissert. 37. a. 3. licet enim hic Pontifex ad Gallicanos Episcopos scripserit, ut eos ad confutandum Græcorum errorem de processione Spiritus S. impelleret;

non sequitur tamen, ut hæc voces primum in Ecclesia Romana receperit. Adjectum illam (subdit idem Natalis l. c.) ab antiquioris Romæ antistite, sanctorum plurium Episcoporum, scientissimorumque Cardinalium consensu habito, factam, scribit Hugo Etherianus l. 3. de processione Spiritus S. c. 16. quod opus ante a. c. 1200. Constantinopoli conscripsit. Sed cum neque Pontificem, à quo facta, nec tempus, quo facta est hæc additio, indiget, nihil certi ex ejus verbis colligi potest. Magni cujusdam Occidentali Concilii, & Romani Pontificis auctoritate hanc ad Symbolum accessionem factam esse, scribit S. Thom. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. suffragatur Andreas Colossensis pro Latinis differens in Concilio Florentino Sessione 8. (debet esse septima) sed cum illius Synodi nec tempus designat, neque nomen, illiusque nullum exister in Historia Ecclesiastica monumentum, tantorum virorum testimonio nibilo reddimur hæc in re doctores. Hæc Nat. Verba S. Thomæ supra N. 133. retulimus, ex iisque conjecimus, S. Doctorem & loqui de prima additione hujus particule, & simul alludere ad Concilium Hispanicum auctoritate Leonis I. indicatum, uti testatur ibi adductus Lucretius Bracarenensis Episcopus. Verba autem Rhodii hæc sunt: Quod maximo in Gallia, & Hispaniis schismate imminente, cum jam ex Filioque passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse, in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnique consilii Patrum Conventu addito ex Filioque Symbolum magis illustrare. Quibus verbis Rhodium non loqui de prima additione hujus particule in Occidentalibus Ecclesiis, & consequenter hoc testimonium non pertinere ad nostram 1. propositionem, sed ad presentem, constat ex iis verbis: Cum jam ex Filioque passim celebraretur. Quod obiter in rem nostram adnotare volumus. Nunc quid circa epocham receptionis hujus particule in Romana,